

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De tertio

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

tas tribulationis nostræ, operetur *ὁξεν*
καθ' ὑπερβολὴν, εἰς ὑπερβολὴν, 2. Cor. 4.
v. 17.

III. *Ex latâ fervorum obviatione, qui ipsi*
nuncium afferunt: Filius tuus vivit.

Pater noster cœlestis, tanquam magnus
ille cœli & terræ Dominus, adhuc hodiè
habet servos suos, qui sunt fideles verbi mi-
nistri, quos nobis obviam mittit, ut si mœ-
ror occupet cor nostrum, bonum nobis
nuncium afferant, nosque confirmet in
cruce, *veritate Dei*, quod nos juxta promif-
sionem liberaturus sit, *Psal. 50. v. 15. Dei*
omnipotentia, quod possit juvare, sitque
mutatio dexteræ excelsi, *Psal. 77. v. 11. Dei*
miseriordia, quod velit juvare, quia Pater
noster est, qui pro paterno suo in nos affe-
ctus, nos non derelicturus sit, *Psal. 103.*
v. 13.

Imprimis verbum hoc pii Christiani
audiunt, quando liberis, parentibus, &
conjugibus per mortem privantur, ut dica-
tur ipsis: Filius tuus vivit. Pater tuus vi-
vit. Maritus tuus vivit. Mors enim
Christianorum non interitus est, sed abitus
ad Patrem, & introitus in Paradysum, ubi
vera vita orietur, *Sir. 48. v. 12. ibi namque*
mors non amplius erit, *Apoc. 21. v. 4. sed*
justi in æternum vivent, *Sap. 5. v. 16.*

Jobus omnia dupla recuperavit, quæ
amiserat, nisi filios & filias, qui eodem nu-
mero ipsi restituti leguntur: Ratio erat,
quia hi non interierant, sed vivebant, &
hos quoque in universali resurrectione re-
cepturus erat, *Job. 42. v. 12. seqq.*

Ita si mors adscenderit per fenestras
tuas, & tibi uxorem, liberos, parentes, &
amicos eripiat: certissimè persuadeas tibi,
non esse eos amissos, sed præmissos: die

novissimo audies: Filius tuus vivit: Uxor
tua vivit, Amicus tuus vivit, & sic ulterius.
Sicut hæc ipsa ex causa dies ille, dies restitu-
tionis omnium dicitur, *Act. 3. v. 21.*

Videamus verò ut in loco beato con-
veniamus, non in inferno: sed in cœlo.
Duo enim loca sunt, ad quæ animæ homi-
num migrant, quando corporibus solvun-
tur: fidelium abeunt in cœlum, ubi abun-
dantia gaudiorum cum vultu Dei, dele-
ctationes in dextera ejus in æternum, *Psal.*
16. v. ult. infidelium verò in infernum ab-
jiciuntur, ubi requiem non habent die ac
nocte, Apoc. 14. v. 11. sed mors depascit
eas, Psal. 49. v. 15. & ira Dei manet super
illas in æternum, Joh. 3. v. 36.

Ne itaque modum excede in lugendis
defunctis tuis, quando beatè illos in Do-
mino mortuos esse, nosti, in requie enim
requiescunt, *Sir. 38. v. 24. quin potius ita*
rationem tuam institue, ut & tu in pace ad
Patres & amicos tuos transeas. Disce igitur
artem moriendi, quam tibi Christus in
cruce ostendit, ubi Spiritum suum Patri
commendavit, *Luc. 23. v. 46. sic & tu o-*
mnibus horis & momentis, maximè verò
in horâ mortis, fidei Creatori commenda
animam tuam, in beneficiendo, 1. Petr. 4.
v. 19. sic eam colliget in fasciculum viven-
tium, 1. Sam. 25. v. 29 & aliquando corpori
redunibit, teque in occusum Christi rapiet
in aère, erisque cum eo semper, 1. Thess. 4.
v. ult.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur
Regulis, ut sunt

I. *Verbo crede.* Regulus initio fide in-
firma laborabat, putabat enim, si Christus

non

non in tempore, vivo adhuc filio opem
ferret, esse deinde planè frustraneum. Ve-
rùm ubi Christus illi dicit: Vade, filius tuus
vivit: ecce! verbum hoc tam efficax est in
corde ejus, ut non dubitet, quin ita sit, ad-
eòque letabundus domum properet.

Hic discimus, quomodo oculos rationis
claudere, & unicè verbo adhiærescere de-
beamus, si rebus nostris consulere, & peti-
tum consequi velimus.

Regulus hic multa Christo regerere po-
tuisset, si rem in dubium vocasset: sed unicè
verbo inimitur, nec dubitat, quin filium
suum pristinæ sanitati restitutum, inven-
turus sit. Hinc & salutaris ille effectus
sequitur, ut fides promisso Christi fidens,
sanitatem filii operetur.

Conspicimus hinc, *quanta virtus fides sal-
vifica sit.* Si Regius hic non credidisset,
nihil auxilii accepisset. Sic oculi Domini
semper adhuc respiciunt fidem, Jer. 8. v. 3.
& quod ex fide non est, peccatum est,
Rom. 14. v. 24.

Non verò hinc sufficit *fides implicita*, quæ
Pontificii contenti sunt, si quis credat,
quod Romana Ecclesia credit. Hæc non
est fides, sed damnabilis ignorantia: con-
trarium requirit Petrus, 1. Ep. 3. v. 14. Nec
fides historica, quæ & in Diabolo cadit,
Jac. 2. v. 19. Sed *fides salvifica*, quæ à pro-
missionibus divinis pendet, ut infans ab
uberibus matris suæ, & omnia quæ Chri-
stus generi humano acquisivit, in indivi-
duo sibi applicat, non dubitans de effectu
promissionum divinarum, Sap. 3. v. 9.

Hæc fides non est omnium, 2. Theff. 3.
v. 2. sed opus Dei, Joh. 6. v. 29. quod per
Verbum & Sacramenta in cordibus ho-
minum inchoat, perficit, & consum-

mat, Roman. 10. v. 17. Philip. 2. v. 13.
Qui igitur hoc medium spernit, spernit
consilium Dei adversus seipsum, Luc. 7.
v. 30.

Da igitur operam, ut habeas fidem, &
bonam conscientiam, 1. Tim. 1. v. 22. 1. Joh.
3. v. 23.

II. *Fomentum quare.* Regulus studiose
interrogat horam, quæ filius melius habu-
erit: & ubi ex servis cognoscit, quod ho-
ra illa esset, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus
vivit: hoc ipso non parùm in fide confir-
matur & roboratur.

Idem & nos faciamus. Fides est instar
ignis: sicut igitur ad ignem semper ligna
apponenda sunt, ne exstinguatur: sic &
fides per verbum concepta, semper alatur
per certa media, ne vicissim amittatur.
Talia sunt,

1. *Verbi divini meditatio*, in quo varias
promissiones invenimus, quæ fidem no-
stram fulcire possunt: quod Deus nobis in
Patrem futurus sit, & nos ipsi in filios &
filias esse debeamus, 2. Cor. 6. v. 18. quod
nobiscum futurus sit in tribulatione, Psal.
91. v. 15. quod a terrene iniquitate, ejusque
non amplius recordari velit, Mich. 7. v. 18.
Ezech. 18. v. 24. quæ ejusmodi firmamen-
ta sunt, in quibus fidem nostram fundare
valemus, ne portæ inferorum prævaleant
adversus eam, Matth. 16. v. 18. Nam tri-
umphator in Israel non faller, 1. Sam. 15.
v. 29. sed omnia opera ejus in veritate,
Psal. 33. v. 4. Esa. 54. v. 10.

2. *Sacramentorum usurpatio.* Non enim
Deus nudis verbis peccatoribus gratiam
suam promisit: sed & Sacramenta addidit,
tanquam sigilla gratiæ, quæ nobis in verbo
Evangelii offertur, Rom. 4. v. 11. *Baptismus*

est *sacramentum initiationis*, quâ in fœdus Christi recipimur, & in Filios Dei adoptamur: iccirco Augustinus eum *portam primam gratia*, & Lutherus *puerperam Regni cœlorum* appellat, Joh. 3. v. 5. *S. Cœna autem est Sacramentum Confirmationis*, quo fides non modò excitatur, sed & roboratur. Quod si honestus aliquis vir tibi centum Imperiales deberet, dedissetque non modò syngrapham, sed & pignus, nonne fidem haberes ei?

Sic Servator noster nobis non modò remissionem peccatorum in verbo & per Ministerium verbi pollicetur, vi verborum, Joh. 20. v. 23. Sed & in sacra cœnâ pignus addidit, nempè pretiosum corporis & sanguinis sui pignus, ne dubitemus de plenaria peccatorum remissione. Hinc ait: Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo, Joh. 6. v. 54. 55.

3. *Quotidiana oratio.* Cum oppidum Dothan à Syris cinctum esset, famulus Elisæi non aliter opinabatur, quàm se in manus hostis deveniturum, dicebatque: Heu Domine mi, quid faciemus? Verùm cum orasset Elisæus, aperuit Deus oculos pueri, & vidit: & ecce, mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi, 2. Reg. 6. v. 15. seqq.

Sic & nos in ærumnis constituti, si fides nostra vacillare incipit, ad orationem tanquam ad sacram anchoram confugiamus, dicentes cum discipulis Christi: Domine, adauge nobis fidem, Luc. 17. v. 5. & cum Patre Lunatici: Credo equidem Do-

mine, sed tu succurre incredulitati, Marc. 9. v. 24. sic non conceder, ut Diabolus calamum quassatum cõterat, & linum fumigans exstinguat, Esa. 42. v. 3. quin potius, qui incepit in nobis bonum opus, perficiet usque in diem Jesu Christi, Phil. 1. v. 8. Psal. 145. v. 19.

III. *Familiam instrue.* Hoc iterum Regulus exemplo suo nos docet; non enim ipse tantùm credit: sed domesticis quoque suis recenset, quam salutariter cœlestis hic Medicus ipsi profuerit, & filium curaverit. Hoc modo totam suam familiam ad Christum convertit.

Hoc officium Patrum-familias requirit, ut domesticos suos, liberos & famulitia vias Domini docere nullam occasionem prætermittant, sicut Abraham legem Circumcisionis non modò sibi & filio Isaac, sed & servis suis applicavit, ut & illi in fœdus Dei reciperentur, Gen. 17. v. 23. Propterea B. Lutherus Parentes Christianos in minori Catechismo Carechetos constituit, iisdemque præscripsit, quomodo liberis & famulitio Decalogum, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, doctrinam de potestate Clavium, de Baptismo & Cœna Domini quam simplicissimè inculcare debeant.

Idque 1. *Severissimè*, ut acuant ipsis fidei articulos & præcepta Domini, Deut. 6. v. 7. Accedat exemplum, quo id ipsum confirmat. Nam ut Augustinus ait: *Plus valet vivendè, quàm loquendè modus.* Qui verò ipse non facit, quod alios docet, alterâ manu ædificat, altera destruit, Sir. 34. v. 28.

2. *Sapissimè*. Sicut enim Pater-familias quotidie familiæ præscribit, quid laboris exantlare debeant: sic & indies ipsis præcepta vitæ præscribat, ut quotidie crescant in cognitione Dei, magisque abundant, 1. Theis. 4. v. 10. Hæc vera Deo placens sapientia est, melior margaritis, & omne desiderabile ei non potest comparari, Prov. 8. v. 11.

3. *Simplicissimè*. Nos enim natura admodum tudes sumus, difficilè æstimantes, quæ in terra sunt, Sap. 9. v. 16. potissimum quod liberos ac famulos concernit, qui lacte adhuc utuntur, non cibo solido, Hebr. 5. v. 12.

Sicut igitur Deus ipse condescendit nobis, & ad captum nostrum attenuat sese: sic & Patres-familias simplicissimè domesticis mysteria Regni cælorum exponant, 1. Cor. 14. v. 19.

Hoc muneris ipsorum est, cum talibus enim conversantur, qui Deo peculiariter commendati sunt. Hereditas Domini, filii; merces, fructus ventris, Psal. 127. v. 4. Qui igitur unum scandalizaverit de pusillis istis, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria de collo ejus, & demergatur in profundum maris, Matth. 18. v. 6.

Sic & servi & ancillæ, qui in re Oeconomica nobis inserviunt, nulla Ethnica

mancipia, sed Christiani sunt, qui cum Dominis suis in eodem fœdere sunt, ideo quod justum est & æquum, iisdem præstare tenentur, Col. 4. v. 1.

In aula Regia Ministri subalternati sunt, ubi semper alter ab alterius nutu pendet. Si verò rem rectè expendas, supremus aulae Magister, æque Regis Minister est, ac infimus stabularius: ita Deus huic multum, illi parum concedidit, & tamen omnes servi Dei sunt. Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo, Luc. 12. v. 48.

Id igitur pii Patres-familias sibi dictum putent, ut famulorum sedulam curam gerant, non modò quod sustentationem corporalem attinet: sed maxime quod salutarem informationem in agnitione Dei & Filii ejus Jesu Christi concernit: id bonum est & acceptum, coram Salvatore nostro Deo, 1. Tim. 2. v. 3. tales aliquando cum fiducia ad tribunal Christi accedere, & dicere poterunt, Ecce, ego, & pueri, quos dedisti mihi Domine, Esa 8. v. 18. jam incorruptos tibi reddam: suscipe illos, & me cum illis, in æternam gloriam. Fiat ita per Christum, Domusum nostrum, Amen.